

tas explanationes, Earum autem rerum nō solū erunt in urbe ædificiorum rationes, sed etiam ruri, præter q̄ q̄ in urbe atria proxima ianuis solent esse, ruri uero pseudourbanis statim peristylia, deinde tunc atria habentia circum porticus pauimentatas spectantes ad palestras & ambulationes, Quoad potius urbanas rationes ædificiorum summam perscripsi ut proposui.

De rusticorum ædificiorum rationibus, & multarum partium eorum descriptionibus, atq; usibus.

Caput.

IX.

Nunc rusticarum expeditionum, ut sint ad usum commoda, quibusq; rationibus collocatione oporteat eas, dicam. Primum de salubritatibus, uti in primo uolumine de moribus collocationis scriptum est, regiones aspiciantur, & ita uillem collocentur, Magnitudines earum ad modum agrorum, copiasq; fructuum comparentur, Chortēs magnitudinesq; earum ad pecorum numerum, atq; quot iuga bouum opus fuerit ibi uersari, ita finiantur, In chortē culina q̄ calidissimo loco designetur, Coniuncta autē habeat bubilia, quorum præsepia ad focum & orientis cæli regionē spectent, ideo q̄ boues lumen & ignē spectando, horridi non fiunt, Item agricola regionū imperiti, non putant oportere aliam regionē cæli boues spectare, nisi ortum solis. Bubiliū autem debet esse latitudines, nec minores pedum denum, nec maiores quindenū, Longitudo uti singula iuga, ne minus occupent pedes septenos, Balnearia item coniuncta sint culina, ita enim lauatiōis rusticæ ministra-

ua plata,
nonnes hyp
podromi
fieri pos
sunt.

Chortis

uocant